



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus De Officiis, Electionibus, Dignitatibus, Et
Beneficiis Ecclesiasticis**

Coras, Jean de

Colonia Agrippina, 1596

VD16 C 5049

4 De coniugatis, & bigamis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63394)

De coniugatis, & Bigamis.

SUMMARI A.

- 1 Coniugati non tenent beneficia.
- 2 Bigamus beneficiorum incapax.
- 3 Bigamus quis.
- 4 Vxorem adulteram cognoscens, an bigamus.
- 5 Castimonia præsuntur.
- 6 Deus ignorantes non punit.

Sine t̄ vxore præterea eum esse oportet, cui de beneficio prouidetur. ca. diuersis, de cler. coniuga. Ideoque coniugati, qui ordinari prohibentur, ca. præterea, 28. dist. beneficiorum sunt incapaces: ca. 2. c. cum decorem, de cler. coniug. obtentaque ante nuptias beneficia dimittere coguntur, ca. 1. c. diuersis, eod. tit. pariterque bigami: hoc est, (vt compositum ex proprio, & peregrino, vocabulum indicat) qui secundas t̄ nuptias inierunt, cum ad sacros ordines promoueri summa ratione non possint, c. 1. c. 2. c. maritum, 13. dist. gloss. in sum. 26. dist. ex Episcopi etiam dispensatione, ca. 2. vbi gloss. & Panor. de biga. merique laici existuntur: ca. vn. de biga. in 6. beneficia Ecclesiastica, tenere nequeunt. dict. c. vn. de biga. in 6. Illum t̄ autem propriè, & verè bigamum dici constat, qui duas vxores, diuersis temporibus habitas cognouit: c. deinde, 26. dist. quasi binæ vxoris maritum. c. aperiant, 31. q. 1. Sic. n. Monogamum vnius vxoris virum dicimus. c. vnius, 26. dist. Et trigamum, qui tres, octogamū qui octo habuit vxores. d. ca. aperiant. Cæterum legis interpretatione, is quoque bigamus intelligitur, qui viduam à priore marito cognitā, c. feriatim,

32. dist. aut puellam vitiatam, ca. præcipimus, 34. dist. vxorem duxit, quique secundum matrimonium de facto contraxit: ca. nuper, de bigam. vel
 4 vxorem ꝑ adulteram cognouit, ca. si cuius, c. sicut, 34. dist. etiam ignoranter, vt Doct̃or. existimant. Cum hic non agatur de vitio ordinandi, in quo scientia requiritur, sed de Sacramenti defectu, quem quicumque licet ignorans pati potest: proinde Host. non sine periculo promoueri coniugatum dicit, quando pauca sint admodum mulieres, quæ ab iniuria turpium libidinum liberae sint. Illud Ouidianum citans.

Castra est, quam nemo rogauit.

Ad hæc præsumptio non tantum sinistra est, atq; ideo fugienda: l. meritò, ff. pro soc. sed etiam, contra legem, quæ præsumit ꝑ quæcunq; castum, sobrium & bonum, in omni (vt dicunt) bonitate naturali, cum qua videlicet homines nascuntur, cap. vn. vbi Panor. de scrut. cap. si fortè, vbi gloss. de elect. in 6. nisi euidentissimis argumentis contrarium demonstraretur. ca. dudum, de præsump. Vndè à communi sententia facile recesserim. Cum nec priuet ꝑ Deus suis sacramentis nisi scienter delinquentes: c. ex literis, de eo qui cog. consang. vxor. cessentque hinc rationes, Bigami promotionem impediens, quas alibi Doct̃or. gloss. in summa, 26. dist. Panor. rubr. de big. & in cap. fanè, de cler. coniug. accuratè scriptas reliquerunt.

De scientia. Cap. V.

SUMMARI A.

1 *Scientia in promouendo necessaria.*

2 *Mona-*